AUTHOR:

BEHAGHEL, GUILLIELMUS

TITLE:

DE VETERE COMOEDIA...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1856

Master Negative #

93-81627-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
ns     NYCG-BT                 BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG93-B5010          Acquisitio
FIN ID NYCG93-B5010 - Record 1 of 1 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG93-B5010              RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:      AD:06-10-93
  CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?   MOD:    SNR:       ATC:         UD:06-14-93
  CP:gw      L:lat     INT:?   GPC:?   BIO:?   FIC:?      CON:???
  PC:s      PD:1856/           REP:?   CPI:?   FSI:?      ILC:????   II:?
  MMD:      OR:    POL:     DM:     RR:        COL:       EML:     GEN:   BSE:
  040     NNC‡cNNC
  100 1   Behaghel, Guilielmus.
  245 10  De vetere comoedia deos irridente‡h[microform].‡nParticula prior. Aris
        tophanes.‡bDissertatio inauguralis quam...‡cconscripsit Guilielmus Behag
        hel.
  260     Gottingae.‡bTypis expressit officina academica Dieterichiana.‡c1856.
  300     45 p.
  LDG     ORIG
  QD      06-14-93
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BF

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE VETERE COMOEDIA DEOS IRRIDENTE.

PARTICULA PRIOR.
ARISTOPHANES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

CONSCRIPSIT

GUILIELMUS BEHAGHEL

MANNHEMIENSIS.

GOTTINGAE, MDCCCLVI.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

Et tentasse juvat.

Quisquis Aristophanis comoedias perlegit, etiamsi singulare ejus ingenium volucremque sententiarum motum mente assequi potest, tamen non desinet offendi immoderata illa procacitate, qua sanctissimum quidque inquinare videtur, ac mirabitur, quod Atheniensium civitas celeberrima ob *δεισιδαιμονίαν* [1]) acerrimeque omnes nefarios insectata non solum conniverit in illa impietate, sed etiam praemio affecerit eos, qui talia in scenam produxerunt. Quae omnia quamvis neminem fugerint, tamen perpauci eorum, qui Aristophanem studiose tractabant, operae pretium esse censuerunt, accuratius de illa re disserere: plerique, ut recentioris auctoris utar verbis, contenti erant, Aristophanem appellasse scurram et canem, qui deos hominesque allatraret: alii, imprimis nostrae aetatis viri docti, qui tam indignum de suavissimo poëta judicium non tulerunt, tribus tantum verbis ipsorum sententias adumbrarunt [2]) multarumque rationum, ad quas illa deorum irrisio referenda est, unam vel paucas prementes rem penitus indagare noluerunt. Unus tantum vir, quantum sciam, Carolus Augustus Boettiger, latius et fusius disseruit de illo argumento in Gubenensi anni 1790 programmate, quod inscripsit: 'Aristophanes impunitus deorum gentilium irrisor' [3]). Quae commenta-

1) Cujus nonnulla exempla inveniuntur in Aeliani Var. Hist. V, 17.

2) Welcker, Uebersetzung des Aristophanes. I, p. 338 sq. Hieron. Müller, Uebers. des Arist. I, pag. 106—108 u. A.

3) Iterum haec commentatio typis expressa est in Boettigeri opusculis editis ab Julio Sillig. Dresdae. 1837.

tio, quamvis maximo acumine conscripta sit, tamen non omnibus ex partibus rem amplexa et omnino eum, quo hodie posita est mythologica scientia, locum assecuta non esse mihi videtur: quare ausus sum, quae mihi Aristophanem iterum iterumque perlegenti in mentem venerunt, hic proponere, ea tantum spe nisus, fore ut viri docti ea qua opus est indulgentia tractent has studiorum meorum primitias.

Quamvis minime me fugiat, ejusmodi quaestionem non ex solo Aristophane, sed ex omnibus quae exstant veteris comoediae fragmentis solvendam esse, tamen tantum inceptum, cui nunc neque mea doctrina, neque hujus libelli ambitus par est, in posteriora tempora distuli et hic de Aristophane solo, et de integris ejus comoediis et de deperditarum reliquis, disserere mihi proposui. Priusquam autem ipsam rem aggrediar, paucis Boettigeri sententiam exponere mihi liceat, ne semper in enucleanda mea ipsius opinione ad illam redire coactus sim.

Statim ab initio Aristophanem dicit grassari in numina non solum peregrina et adventicia, sed etiam antiquissimis cerimoniis adorata, urbis tutelaria et *πατρῷα,* festis diebus, sacrificiis, pompis religiosissime culta. Quam rem plane aliter se habere, quum infra, ubi mea argumentatio secum feret, pluribus verbis demonstrare in animum induxerim, sufficiat praemisisse, Aristophanem diis gentilibus, quos *πατρῴους* vocare solebant Graeci, diligentissime abstinuisse dentem.

In priori commentationis parte Boettiger contendit, Aristophanem impietatis accusari non potuisse, quum in omni rerum Atticarum memoria ii tantum *ἀσεβείας* arcessiti sint, qui disputationibus cultum deorum popularium sustulerint vel Cereris mysteria profanarint: ejusmodi crimen impingi non potuisse fabularum auctoribus, sive impia loquerentur in scena homines et argumentis refellere studerent insitas de diis popularibus

opiniones, sive ridicula et absona de iis comminiscerentur poetae ad captandos spectatorum plausus et cachinnos: magnum enim intercedere discrimen putavisse Atticos inter ea, quae scenae et personis convenientia finxerint Tragici aut Comici et sententiam, quam quis e prava animi persuasione protulerit. Attamen Seneca, cujus auctoritatem cur hic in suspicionem vocemus nulla est causa, in epistola CXV narrat, quum in Euripidis Bellerophonte tragoedia versus recitarentur, qui innocentiae, saluti, opinioni bonae lucrum anteponerent [4]), totum populum ad ejiciendum et actorem et carmen consurrexisse uno impetu, donec Euripides ipse in medium prosiluerit, petens, ut exspectarent viderentque quem admirator auri exitum faceret. Si talia in docenda tragoedia accidere potuerunt, in qua poëtam semper fere suam ipsius opinionem non nisi per chorum proferre nemo spectatorum ignorabat, equidem confiteor, Atticos illud discrimen non semper observasse mihi videri.

In posteriori commentationis parte, quae quibus causis illa deorum irrisio sit provocata exponit, Boettiger nimis urget, comoediam *παρῳδίαν* esse tragoediae et omnes, quos Aristophanes in scenam produxit deos, conferre studet cum tragoediae diis ex machina. Quamvis nullo modo negari possit, persaepe comicos poëtas tragicorum verba non solum divinis, sed etiam aliis in rebus ridicule detorsisse, tamen Boettiger latioribus finibus rem circumscripsisse mihi videtur: sine dubio enim plus semel comoedia deos prorsus suo jure assumpsit [5]).

---

4) Versuum, quos latine reddere Seneca tentavit, hoc est initium:

Sine me vocari pessimum, ut dives vocer,
An dives, omnes quaerimus: nemo, an bonus.

5) Cujus rei ut duo tantum exempla afferam: si Bacchus in

Quodsi dicit, praecipuam causam, cur Aristophanes impune et cum voluptate quadam spectatorum carpere deos in scena et turpissima quaeque iis affingere potuerit, contineri in vulgaribus, quae tum obtinerent de diis eorumque conditione et potestate opinionibus, cavendum est, ne speciosa rei probabilitate decipiamur. Si enim re vera omnes, qui tum in cavea consederunt, Jovem, Mercurium, Neptunum, Minervam longe majori quidem potestate et augustiore specie, quam mortalibus inesse solet, praeditos, sed in aliis omnibus rebus hominum naturae simillimos esse crediderunt, quippe qui fame et siti discruciarentur, libidinibus in formosos pueros et mulieres ferrentur, jurgiis et conviciis mutuis lacesserentur, versutia Promethei, Sisyphi aliorumque deciperentur, nonne necesse erat, Aristophanem multo magis offendere spectatorum animos, non solum ludibrio habentem inveteratas et caras de diis opinionibus, sed etiam addentem, quae vel hominem foedarent, fingentem Bacchum ob pavorem ipsius corpus inquinantem, Herculem voraci ventri omnia postponentem, Mercurium fame vexatum et ad infimum quodque munus paratum —, nonne necesse erat, multo magis indignari populum, quod ea, quae vera putabat, turpissimis vitii et luti sordibus adspersa videret, quam quod Aristophanes multifarias poetarum fictiones, quibus plerique fidem non tribuebant, etiamsi de diis ipsis negandis ne cogi-

Ranis ad inferos descendit, qui tragicum poëtam arte excellentem in terram revocet, haec fictio poëtica minime conjungi potest cum alio Bacchi matrem reducturi descensu, quem fortasse tragoediae auctorem argumento sibi sumpsisse nonnemo conjecit: ille enim Bacchus et Bacchus dramati praefectus diligentissime sunt disjungendi. Si in pacis vss. 180 sqq. Trygaeo narratur, omnes deos Olympo emigrasse Mercuriumque solum ad supellectilem custodiendam reliquisse, non tragici cujusdam, sed Homeri narratio (Iliad. I. 423—425) lepide detorquetur, si quidem re vera *παρῳδία* inest huic loco.

tarent quidem, nimis augendo et in majus extollendo ridiculas redderet et festive spectatoribus indicaret, quam indigna illa hominum vitia essent sancta deorum natura?

Sed jam ne ea, quae ipsa commentatione argumentis confirmare mihi proposui, anticipem, transeundum est ad singulas rationes, ad quas quaestio nostra est referenda, ex ordine considerandas.

In priori parte videamus, primum quibus diis Aristophanes pepercerit, deinde quomodo alios ludibrio habuerit: in altera exponere tentabimus, quae ipse poëta de diis cogitarit, quam vim ad popularium animos exercuerit, quomodo potuerit fieri, ut nunquam *γραφῇ ἀσεβείας* implicaretur.

I.

Ante omnia tenendum est Aristophanem Atticum se praestare omnibus in rebus et quae ad rempublicam ejusque conditionem et quae ad deorum cultum pertineant. Quem quomodo Atheniensium civitas constituerit, non consulto et cogitate, sed eum qui ultro se praebuit rerum progressum secuta, paullo accuratius exquiramus, quum hac in re prioris quaestionis cardo versetur. Procul dubio plerisque haud absona dixisse videbor, si C. F. Hermannum [6]) secutus contendero,

6) Non possum, quin ejus verba vernaculo sermone luculente quae huc pertinent dicentia adscribam: »Es kann nicht genug hervorgehoben werden, dass der griechische Cultus als solcher seinen ursprünglichen Particularismus örtlicher oder sonstiger Beschränkungen nie ganz aufgab, welcher nur durch positive äussere Umstände in der Art ausgedehnt wurde, dass entweder Auswanderer die heimischen Götter auch in die Fremde mitnahmen oder ein einzelner Tempel im weitern Kreise dieselbe Anerkennung fand, die ihm eigentlich und zunächst nur von seiner Ortsgemeinde gebührte. — — — — Die verschiednen Götter desselben Landes genossen nicht alle der

omnes graecas civitates illa quoque aetate, qua variis causis, quas hic exponere longum est, ut migrationibus, coloniis, commercio singulorum deorum ab initio veneratione affectorum cultui aliorum numinum sacra paullatim admixta et inter religiones publicas relata erant, primarios illos deos praecipuo honore affecisse et *θεοὺς πατρῴους*, deos gentiles appellasse, qui discernerentur ab aliis numinibus postea a civitate receptis. Quorum *θεῶν πατρῴων* in numero si quaerimus qui Athenis sint habiti cavendum est, ne fidem tribuentes argumentis, quae nullius sunt auctoritatis, recta ratione discedamus. Minervam, terrae Atticae *κληροῦχον*, Athenarum *πολιοῦχον*, huc esse referendam dubium esse non potest[7]: sed Apollinem quoque, Ionis patrem, Athenis pro deo gentili habitum esse, firmissima probant argumenta: nemo erat civis atheniensis, nisi cui esset *Ἀπόλλων πατρῷος*: quare patres, quum filios *φρατρίαις* adscribendos curavissent, nunquam negligebant inducere eos in Apollinis *πατρῴου* templum [8]). Inquisitione enim

---

nemlichen Verehrung, sondern zerfielen selbst wieder in sehr verschiedne Kategorieen, deren Scheidung eine der wichtigsten Aufgaben mythologischer Forschung ist. — — In den eigentlichen Stamm- oder Staatsgöttern prägte sich die sittliche Idee der Staatsgemeinschaft selbst aus; ihre Verehrung war Lebensbedingung der Gemeinde. Die meisten übrigen dagegen hatten kleinere Gemeinden oder waren auf die freiwillige Verehrung der Gläubigen angewiesen.« (Gottesdienstliche Alterthümer §. 7.).

7) Etiamsi ingens illa verecundia, qua Minervam centum et viginti ante annis a populo affectam esse Herodoti narrratio (I, 60) comprobat, sophistarum sermonibus, quorum vim Athenienses non prorsus effugere poterant, paullo imminutam esse credamus, tamen inde colligi potest, quantus etiam Aristophanis temporibus summae deae honor fuerit.

8) Cf. Demosth. c. Eubulid. §. 54: *ἀλλὰ παιδίον ὄντα με εὐθέως ἦγον εἰς τοὺς φράτορας, εἰς Ἀπόλλωνος πατρῴου ἦγον, εἰς τἆλλα ἱερά.*

facta in magistratuum genus et vitam, Polluce teste non inter minima integrae civitatis argumenta referebatur, Apollinem iis esse *πατρῷον*[9]): id quod etiam ipse noster poëta jocando tetigit in Avibus [10]). Jam autem quaerendum est, utrum Athenis praeter Minervam et Apollinem tertius fuerit *θεὸς πατρῷος* nec ne. Si parumper discedimus ab aliis argumentis, jurisjurandi Attici verba eo nos adducere videntur, ut tres deos gentiles exstitisse ac Jovem tertium fuisse putemus. Scholia Veneta ad Iliadis *β*, 371, ubi Agamemno exclamat:

αἲ γὰρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον
τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν κ.τ.λ.

haec addunt: *ἐντεῦθέν τινες νομίζουσιν Ἀθηναῖον γεγονέναι τὸν ποιητήν· τὸ γὰρ Ἀθηναίη κ. τ. λ. Ἀττικὸν καὶ ἴδιον εἶναι τὸν ὅρκον φασὶ τῶν Ἀθηναίων. πάτριοι γὰρ οὗτοι τοῖς Ἀθηναίοις θεοί.* (De eo, quod interest inter *θεοὺς πατρῴους* et *πατρίους* discrimine statim pauca dicenda sunt).

Solonem jussisse, semper per tres deos jurare Athenienses et Hesychius s. v. *τρεῖς θεοί* et Pollux [11]) affirmant.

At si rationem habemus aliorum locorum, ubi tres illi dii, per quos ad sacramentum adiguntur Athenienses, non sunt Jupiter, Apollo, Minerva, sed alia numina jurejurando promiscue conjuncta, si respicimus Demosthenem in Timocratea *ἐπόμνυντα Δία, Ποσειδῶνα, Δήμητρα*, apud ipsum nostrum poëtam equitum cho-

---

9) Poll. VIII, 85: — — *ἐκαλεῖτο δέ τις θεσμοθετῶν ἀνάκρισις, εἰ Ἀθηναῖοί εἰσιν ἑκατέρωθεν ἐκ τριγονίας — — — καὶ εἰ Ἀπόλλων ἐστὶν αὐτοῖς πατρῷος καὶ Ζεὺς ἑρκεῖος.*

10) 1525—1527. Loci et ex integris comoediis et ex fragmentis laudati eosdem prae se ferunt numeros, quos recensiones Bergkianae.

11) Poll. VIII, 142: *τρεῖς θεοὺς ὀμνύναι κελεύει Σόλων; ἱκέσιον, καθάρσιον, ἐξακεστῆρα.*

rum jurantem per Jovem, Apollinem, Cererem [12]), Socratem pro sua religione tres jurisjurandi testes sibi fingentem, *τὴν Ἀναπνοήν, τὸ Χάος, τὸν Ἀέρα* [13]), si videmus, tria illa numina, quae Pollux l. l. commemorat, nihil aliud esse, quam tria ejusdem dei epitheta [*ἱκέσιον, καθάρσιον, ἐξακεστῆρα*], persuasum nobis esse necesse est, in Atheniensium jurejurando non agi de tribus numinibus certis ac definitis, quae ob egregiam auctoritatem semper tanto honore afficerentur, sed de triplice tantum eorum numero.

Accedit autem aliud, quod Jovem Athenis *θεὸν πατρῷον* fuisse negare nos cogat: Plato in Euthydemo [14]) disertis verbis exponit, Athenienses *Δία πατρῷον* non coluisse. Tragici quidem poetae saepius hoc epitheto Jovem ornaverunt: sed ad nostram quaestionem nihil valere potest illâ poëtarum licentia, quum aut alienarum terrarum, quibus re vera *Ζεὺς* esset *πατρῷος*, incolas hac voce utentes fingerent, aut frustra illud nomen etiam Athenas introducere studerent [15]): quare recentiores interpretes recte Nubium versum 1468, ubi Strepsiades impium filium ita admonet:

ναί, ναὶ καταιδέσθητι πατρῷον Δία,

ex tragoedia aliqua, fortasse Euripidis, ut Porso conjicit, depromptum esse censuerunt. Nihil autem nos impedit, quominus scholii eidem loco adscripti, quod pluribus verbis explicare studet, cur non solum Apollinem, sed etiam Jovem *πατρῷον* Athenienses venera-

12) equitt. 941.

13) nub. 626.

14) pag. 302. C: *εἶτα τοῖς ἄλλοις, ἔφη, Ἀθηναίοις οὐκ ἔστι Ζεὺς ὁ πατρῷος; Οὐκ ἔστιν, ἦν δ' ἐγώ, αὕτη ἡ ἐπωνυμία Ἰώνων οὐδενί, οὐδ' ὅσοι ἐκ τῆςδε πόλεως ἀπῳκισμένοι εἰσίν, οὐδ' ἡμῖν, ἀλλὰ Ἀπόλλων πατρῷος, διὰ τὴν τοῦ Ἴωνος γένεσιν. Ζεὺς δ' ἡμῖν πατρῷος μὲν οὐ καλεῖται, ἕρκειος δὲ καὶ φράτριος κ. τ. λ.*

15) cf. Porson. ad Eur. Med. 1314.

tione prosecuti sint [16]), auctoritatem rejiciamus: ex ipsis enim nostri poëtae verbis scholiasta suam sententiam arcessivisse et nonnullis tragicorum locis parum accurate intellectis sibi confirmasse videtur.

Jam quum viderimus, Athenis praeter Apollinem et Minervam nullum deum, ne Jovem quidem, in *θεῶν πατρῴων* numero habitum esse, quaerendum est, quod discrimen intersit inter deos *πατρῴους* et *πατρίους*, quum inde intelligi possit, quantopere Apollinis et Minervae cultus ab omnium aliorum deorum conditione Athenis discrepuerit. Hic meum esse non potest, accuratius inquirere in illam differentiam, de qua judicantes viri docti in varias partes discedunt: hoc tantum dixerim, me iterum C. F. Hermanni [17]) auctoritatem secutum diis *πατρῴοις πατρίους* ita opponendos esse censere, ut illi sint numina ex antiquissimis temporibus a patribus filiis tradita et a civitate in omni memoria culta, dii *πάτριοι* autem omnes ii, quos postea a civitate receptos leges honore affici jusserint. Si ita rem constituimus, ex iis, quae supra diximus, apparet, Jovem aliosque diis *πατρίοις* adscribendos esse, Apollini autem et Minervae quodammodo utrumque illud

16) Schol. ad nub. 1468: *Πατρῷος Ζεὺς καὶ Ἀπόλλων ἐν Ἀθήναις τιμῶνται, ὁ Ζεὺς μὲν μετὰ τὴν ἐν Ἀρκαδίᾳ ἤ, ὡς ἕτεροι, μετὰ τὴν ἐν Κρήτῃ ἀνατροφήν, ὅτε πρῶτον ταῖς Ἀθήναις ἐπέστη καὶ ἐφάνη τοῖς πατράσιν αὐτῶν, οἵτινες ταύτῃ τῇ προςηγορίᾳ τετιμήκασιν αὐτόν· Ἀπόλλων δέ, ὅτι Ἐρεχθέως θυγατέρα ἔγημε τὴν Κρέουσαν, ἐξ ἧς γίνεται ὁ Ἴων.*

17) Gottesdienstliche Alterth. §. 7. not. 5: d. Grammatiker unterscheiden richtig: *πατρῷα τὰ ἐκ πατέρων εἰς υἱοὺς χωροῦντα· — — πάτρια δὲ τὰ τῆς πόλεως ἔθη.* Daraus folgt, dass in der Verehrung der erstern der Staat, wie eine grosse Familie erscheint, daher sie dann auch *γενέθλιοι, ἀρχηγέται, πατρογένειοι, πατριῶται* heissen, während *πάτριοι* alle gesetzlich recipirten Götter sind.

cognomen vindicari posse[18]. Utut est, singularem profecto locum in Atheniensium cultu duo numina gentilia obtinuisse nemo negabit, quum omnino Graecos eo fuisse animo videamus, ut *θεοὺς πατρῴους* eorumque cultum multo praeponerent aliorum deorum religioni. Cui animo, etiamsi res ipsa non vera sit, argumento est, quod Aelianus [19]) narrat, Graecos Aeneam quam maximo honore affecisse eique nova domicilia concessisse, quod omissis aliis numinibus deos gentiles Trojae incendio eripuerit.

Eodem autem honore, quo Apollo et Minerva publice Athenis fruebantur, etiam Aristophanem in scena eos affecisse, neminem fugere potest, qui paullo accuratius ejus comoedias perlegit. Nunquam eos ipsos in scenam produxit: in illa enim comoedia deperdita, quae *Ὧραι* inscripta est, Minervam Horarum ducem fuisse, conjici tantum, firmis autem argumentis probari non potest: quamquam si revera ita esset (et fortasse qui hoc statuunt recta utuntur ratione), nescio an digniores partes tribuere potuerit poëta summo Athenarum numini, quam sacra antiqua defendenda adversus religiones adventicias.

Perpauci tantum exstant loci, in quibus Aristophanes personas in scenam productas de Minerva vel Apolline loquentes fingit et equidem omnes jocos, quos eorum dignitati minus aptos protulisse videtur, ita explicari posse censeo, ut nequaquam *θεῶν πατρῴων* auctoritati obtrectent. In Equitibus [20]) viginti per versus poëta facetissime ludit in Minervae epithetis et muneribus, quibus fungi credebatur: sed illis facetiis

18) cf. Plat. de rep. pag. 427. C., ubi re vera *Ἀπόλλων* apellatur *πάτριος θεός*.

19) Var. Hist. III, 22: *ὅτε ἑάλω τὸ Ἴλιον, — — ὁ Αἰνείας τοὺς πατρῴους θεοὺς βαστάσας ἔφερεν ὑπεριδὼν τῶν ἄλλων.*

20) 1168 sqq.

neutiquam deae dignitatem imminui nobis persuasum erit, si meminerimus, totum illum botularii et Populi dialogum nihil aliud continere, quam excelsam quandam allegoriam ad Atheniensium civitatem spectantem: cui si festive numinis tutelaris imaginem immiscet poeta, profecto nihil committit, quod abhorreat a deae dignitate. Accedit illud, quod eburnea Minervae statua a Phidia elaborata, quam *τῇ χειρὶ τἠλεφαντίνῃ μυστίλας μεμυστιληκέναι* dicit botularius, non tanta sanctitatis specie erat induta, quin de ea jocum edere poëta posset. Graecorum, qui omnia divina oculis et auribus percipere malebant quam mente, reverentia plerumque cum loco certo ac definito, cum templo, cum statua conjuncta erat atque Athenis peculiare Minervae sacrum nihil aliud fuisse, quam *ἅγιον* illud *Πολιάδος βρέτας*, quod mulieres obtinuisse aegre fert senum chorus in Lysistratae versu 262 [21]), nemo ignorat. De antiquissimo illo signo in Erechtheo constituto, quod coelo dejectum esse Athenienses putabant, Aristophanes jocari vix ausus esset: si autem in ingentem magnitudinem ejus statuae, quam Phidiae manus confecisse et in Parthenone exstruxisse, plerique spectatorum ipsi meminerunt, jocosa dicta jactavit, quis idcirco irasci potuit poëtae? In facetissimo illo dialogo [22]), in quo Pisthetaerus Herculi diserte exponit, ex Atheniensium jure hereditario omnia Jovis patris bona filiae heredi, Minervae, obventura esse, ipsum autem Herculem ut nothum nihil sibi vindicare posse, totius loci jocus in Herculis stuporem cadit: Minervae auctoritas eo infringi nequit, quod suavissimo cum lepore coe-

21) Errare mihi videntur ii, qui hoc loco *ἅγιον βρέτας* referre volunt ad Phidiae statuam, quam Pausanias (I, 24, 5 sqq.) descripsit; *βρέτας*, quantum sciam, de ligneis tantum signis usurpatur: illam autem statuam ebore et auro confectam esse constat.

22) avv. 1646 sqq.

lestis regni *ἐπίκληρος* vocatur. In ejusdem comoediae versibus 826 sqq. quomodo jocum Minervae sanctitate indignum invenire potuerit Böttigerus, non intelligo: Euelpides comitem Pisthetaerum interrogat, quem deum novae urbis tutelam reddere, cui numini peplum texere velint. Quo in loco nihil inesse aliud quam patriae conditionis festivam in novum rerum statum translationem nemo non videt. Quum ille respondeat: *τί δ᾽οὐκ Ἀθηναίαν ἐῶμεν πολιάδα;* in sequentibus versibus sententia profertur, civitatem non bene esse constitutam, in qua

θεός, γυνὴ γεγονυῖα, πανοπλίαν
ἕστηκ᾽ ἔχουσα, Κλεισθένης δὲ κερκίδα.

At hic jocus nihil habet, quod offendere possit pios Atheniensium animos: tribuendus enim est non Euelpidi, ut fieri solet, sed Upupae[23]), cui illud enunciatum, quo est in Avibus animo, maxime convenit: praeterea certo certius est, Aristophanem hic ut saepius prius sententiae membrum idcirco tantum protulisse, quo magis oppositione alterum enunciatum elucescat, quod more solito muliebrem Clisthenis naturam acriter perstringit.

Simili modo reliqui loci, in quibus de Minerva vel Apolline agitur, ita explicari possunt, ut eorum dignitas integra maneat. Aristophanes, qui vehementissime invehitur in omnia alia oracula et vaticinia, ut infra accuratius videbimus, nunquam Delphici vatis auctoritatem aggreditur. In Pluto Apollinis oraculum, quod ab initio (vs. 8) Cario servus immerito vituperat, fabulae progressu et exitu verum et salubre se praebet. In celeberrimo illo oraculorum certamine (equitt. 961 sqq.), quod Cleo cum botulario impudentissime init, mendacii flagitium non in deum, quem oracula edidisse illi homines mentiuntur, sed in vates menda-

23) **Id quod Ernestus a Leutsch pluribus augumentis in Philologo propediem confirmabit.**

ces, qui se Apollinis auctoritate uti simulabant, rejicitur: idem judicium ferendum est de somnio, quo Minervam ipsam *πλουθυγιείαν* in populum effundentem vidisse Cleo contendit (1090 sqq.). Illud tantum vaticinium, quod postremo Cleo anxio animo prodit et quo ab Apolline sui victorem sibi descriptum esse dicit[24]), vero eventu comprobatur: ejus enim rei, quam Atheniensium populo summae saluti esse tota comoedia demonstrare studet, Cleonis per honestum[25]) aemulum a reipublicae gubernaculo removendi vel Apollinem, summum oraculorum praesidem[26]), auctorem fingere, merito deo non indignum censet Aristophanes. Sed vel eo procedere nobis licet, ut poëtam non obscure turpia hominum vaticinia et sanctum oraculorum auctorem inter se opposuisse contendamus. In Equitum vs. 1267 chorus festive ad Apollinem se convertit malamque Theomantis fortunam deplorat, qui fame conficiatur, quamvis supplex ejus pharetram amplexus sit. In vespp. vs. 161 Philocleo dicit, se ab Apolline consulentem tulisse responsum, periturum se esse, si unquam reum crimine absolvat: sed statim illa exclamatione, quae semper adhibetur in malis et periculis deprecandis[27]): *Ἄπολλον ἀποτρόπαιε, τοῦ μαντεύματος,*

24) **Mira est hujus loci similitudo cum eo, quod recentioris aetatis poëta, Shakespeare, in dramate Macbeth inscripto fingit, sagas tyranno praedixisse, quo tempore et qualem per virum mortem sit obiturus.**

25) **Honestum appellare aemulum nobis licet, si finem comoediae respicimus, in qua botularius subito commutatur in Agoracritum.**

26) **Quomodo illud, quod Scholiasta ad Soph. Oed. Col. 793 nobis tradidit (: *δοκεῖ γὰρ ὁ Ἀπόλλων παρὰ Διὸς λαμβάνειν τοὺς χρησμούς, ὥς — καὶ φησί — Ἀριστοφάνης Ἥρωσι*), ad eam, quam poëta de Apolline vate sibi conformarit sententiam possit adhiberi, in medio relinquimus, quum pauca illius comoediae fragmenta nullam aliam ansam praebeant.**

27) **cf. plut. 359. 854. equitt. 1307. avv. 61.**

Xanthias servus quasi ipsum Apollinem invocat adversus oraculum ei tributum et ita jocose indicat, quanta fides Philocleonis verbis habenda sit: si quidem non ad periculum oraculo seni judici praedictum, sed id quod sententiarum nexui et imprimis Xanthiae animo φιληλιαστῇ infesto magis respondet, ad ipsius narrationis naturam illam exclamationem referimus.

Si autem Aristophanem gentilibus patriae diis diligentissime pepercisse videmus, minime inde colligendum est, cum omnes reliquos deos promiscue prorsus eodem modo ludibrio habuisse: potius, si penitus rem intuemur, ex omnibus locis huc referendis intelligatur necesse est, ipsum poëtam consulto et cogitate deos disjunxisse, quorum alios cum acerbitate quadam, alios leniter tantum, alios sine ullo consilio perstringat. Mihi eorum locorum, in quibus revera divinarum rerum irrisio inest, tria genera esse videntur, quae jam accuratius considerare nostrum est. In primi generis locis de industria in nonnullos deos, religiones, instituta acerrime invehitur, id agens, ut non modo ridicula ea reddat, sed etiam perpetua cavillatione eorum vanitatem civibus manifestam faciat. Atque si justum de Aristophanis moribus judicium ferre volumus, illud eum fecisse nobis credendum est non temere gavisum frivolis quamvis justissimis conviciis, sed sperantem fore ut cives sui cultus partes graeco ingenio indignas ea, qua deceat, contemptione afficiant et fortasse paullatim aboleant. Quidni enim credamus, poëtam, qui comoediarum plurimas ea mente in scenam produxit, ut populares, quae ipsis, quae toti reipublicae conveniant edoceat[28]), etiam ad piorum hominum animos recte tem-

28) Quod consilium Aristophanes ipse profitetur in Acharn. vss. 633—635:

φησὶν δ' εἶναι πολλῶν ἀγαθων ἄξιος ὑμῖν ὁ ποιητής,
παύσας ὑμᾶς ξενικοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατᾶσθαι,
μήθ' ἥδεσθαι θωπευομένος μήτ' εἶναι χαυνοπολίτας.

perandos vim aliquam exercere voluisse? Quare non temere mihi persuasisse videbor, Aristophanem constanti quadam earum rerum irrisione, quae a divini numinis sanctitate abhorrere ei viderentur, populares eo adducere sibi proposuisse, ut ultro irritis opinionibus deficerent eaque, quae sacras religiones deformare nostrum nemo non videt, renunciarent. In illarum autem rerum numerum imprimis refero religiones peregrinas et adventicias, turpem vaticiniorum quaestum, omnino caecam Atheniensium superstitionem. Quae quanta cum acerbitate poëta asperis facetiarum aculeis persecutus sit, exemplis nonnullis comprobemus. Inter religiones peregrinas, quas Athenienses summa levitate recepisse ac persaepe nocturnis orgiis celebrasse novimus, praecipue in eas bacchici cultus partes, quas peregrini ex Asia Athenas transtulerant, invehitur. Quamvis enim civitatis leges omnes, qui religionibus publice non receptis indulgerent, poena affici jussissent, tamen magistratibus non nimis cordi erat, illa sacra in abditis urbis angulis celebrata[29]) protrahere meritaeque poenae tradere. Optimi igitur cujusque erat omnibus viribus id agere, ut ejusmodi religiones, quas maximum detrimentum reipublicae moribus afferre necesse erat, quaque ratione tollerentur. Ut alii facundiae, gratiae, auctoritatis vi ad infringendam earum auctoritatem utebantur, ita Aristophanes salso dente erodendis summam operam navabat. Jam Cicero[30]) maximae laudi ei tribuit, quod „novos deos et in his colendis nocturnas pervigilationes sic vexet, ut apud eum Sabazius et quidam alii dii peregrini e civitate ejici-

29) Homines, qui in talibus orgiis versabantur, acervos librorum, quos ab Orpheo et Musaeo profectos esse simulabant, secum tulisse, ut auctoritatis speciem quandam suis sacris induerent, Plat. de rep. pag. 364. E. narrat.

30) De legg. II, 15, 37.

antur." Quem locum quominus cum Bergkio [31]) ad deperditam comoediam, cui Horarum titulus inscriptus erat, referamus, nihil obstat, ita ut addito lumine, quod pauca ejus fragmenta rei porrigunt, fortasse a vero non nimis alienum sit, quod nonnemo conjecit, Minervam, quae Horas comites sibi adjunxerit, in illa comoedia priscorum deorum auctoritatem contra Sabazium defendisse ac postremo effecisse, ut dii adventicii a judicibus condemnati e civitate ejicerentur. In lepidissima illa precatione, quae deorum cuique avem substituit [32]), peregrinum Sabazii genus eo indicatur, quod cum *φρυγίλῳ* avi conjungitur. In Lysistr. vs. 387 [33]) Probulus mulierum procacitatem Sabazii orgiis tribuit, quae adeo illa aetate Atheniensium uxores adamabant, ut Lysistrata ipsa (vs. 1) irata de feminarum cunctatione diceret, si *Βακχεῖον*, quod hic idem mihi esse videtur cum orgiis bacchicis, celebraturae essent, quam maxime eas festinaturas fuisse, in rebus severis autem semper esse tardas. In Vespp. vs. 9 eodem loco collocatur *τὸ κορυβαντιᾶν* et ea vis, quam Sabazius ad animum exercet [34]). Quod ad ipsos Korybantes attinet, turbulentas insanasque eorum cultus cerimonias plus semel acriter perstringit poëta: quamvis enim Cybelae, magnae deorum matri, Athenis in *μητρῴῳ* publica sacra essent instituta, tamen ejus servi ac comites, Korybantes, quos infima tantum plebs

31) Fragmenta pag. 282.

32) Avv. 865 sqq.

33) *ἆρ' ἐξέλαμψε τῶν γυναικῶν ἡ τρυφὴ χὠ τυμπανισμὸς χοἱ πυκνοὶ Σαβάζιοι.*

34) Simili modo Sabazius et Korybas conjunguntur in Luciani deorum concilio (IX, 533): etiam Iamblichus (*περὶ μυστηρίων* III, 10) Korybantum Sabaziique cognationem quandam statuit his usus verbis: *τῶν Κορυβάντων φρουρητική πως ἡ δύναμις καὶ ἐπιτελεστική, τοῦ Σαβαζίου δὲ εἰς βακχείας καὶ ἀποκαθάρσεις ψυχῶν καὶ λύσεις παλαιῶν μηνιμάτων οἰκειότατα παρεσκεύασται.*

clandestinis orgiis colebat, Comicorum cavillationes effugere non potuerunt[35]). Jocosum exemplum ille vesparum locus praebet (vs. 119), ubi Xanthias servus narrat, Philocleonem a filio Korybantum mysteriis initiatum cum ipso tympano in forum confugisse: alio loco (Lysistr. 557) ridiculus eorum mos armorum in colenda dea gerendorum ludibrio habetur et in eccles. vs. 1069 occasio, qua oblata invocantur, quanti eorum auctoritas sit faciunda, significat.

Aliud exemplum justae illius in religiones peregrinas irae in deperdita comoedia, cui Lemniarum nomen erat inscriptum, inest: Athenienses ex Thracia, ubi diu bella gesserant, Bendidis deae cultum secum transtulerant adeoque ei indulgebant, ut novi numinis ara sacrificiis ferveret [36]). Cui petulantiae ut modus poneretur, jam anno 443 a. Chr. Cratinus poëta Thressas docuerat: quibus quum nihil profecisset, Aristophanes iterum nescio quo tempore ejusdem deae cultum aggressus est. Cum Lemniis optime Eupolidis Baptae comparari possunt, qui si cum Odofredo Müllero facimus [37]), id egerunt, ut Cotyis Thraciae deae orgia, in quibus Alcibiades ejusque socii versabantur, traducerent.

Altera res, quam irridendo abolere voluisse Aristophanem dixi, est turpis ille vaticinandi quaestus, quem multi homines viles Graeciam permigrantes sine ullo metu impune faciebant. Jam apud Homerum [38]) *μάν-*

35) cf. J. H. Voss. ad vespp. 9.

36) cf. fragm. 7: *καὶ τὴν κρατίστην δαίμον', ἧς νῦν θερμός ἐσθ' ὁ βωμός.*

37) Griech. Literaturgesch. II, pag. 257.

38) Odyss. XVII, 383: *τίς γὰρ δὴ ξεῖνον καλεῖ ἄλλοθεν αὐτὸς ἐπελθὼν*
ἄλλον γ' εἰ μὴ τῶν, οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν
μάντιν ἢ ἰητῆρα κακῶν ἢ τέκτονα δούρων
ἢ καὶ θέσπιν ἀοιδόν κ. τ. λ.

τεις cum medicis, fabris, cantoribus, praeconibus habentur in *δημιουργῶν* numero i. e. eorum, qui arte sua vitam sustentant: nemini autem illis temporibus tale quid opprobrio erat, quum pauci tantum et si ita dicere licet, revera divino quodam spiritu afflati nobili vaticinandi arti studerent. Nonnullis autem saeculis interjectis tanta morum corruptela in rebus et humanis et divinis paullatim irrepserat, ut non solum pleraeque oraculorum sedes in reddendis responsis fraude quamvis astutissima uterentur, de qua re hic plura addere a quaestione nostra alienum est, sed etiam multi, qui alio quaestu vitam tolerare non poterant, sine ullo animi impetu lucri causa creduli populi [39]) levitate abusi vaticinarentur. Quibus hominibus, quamvis omnia fere illa dicta, quae *χρησμοὺς* dicere solebant, suo ipsorum nomine invenirent, tamen prudentia quadam et astutia opus fuisse, ex ipsius rei natura apparet. *Ποικίλως* enim *καὶ σοφῶς ᾐνιγμένον* (equitt. 196) vaticinium esse oportebat, si quid valere apud homines vates volebant [40]). Eandem ob causam ab Apolline se

---

Etiam praecones *δημιουργῶν* numero adscribendos esse, comprobat Odyss. XIX, 135.

39) Insigne hujus rei exemplum illa vaticinia praebent, quae ante Siciliensem expeditionem omnium animos in varias partes distraxerunt. Quum nonnulla prodigia et oracula tam ingens inceptum dissuaderent, Alcibiades omnibus viribus id egit, ut contrariis vaticiniis adversarios superaret (Plut. Nik. VIII). Re autem male gesta, Athenienses vehementissime illis vatibus iratos esse Thucydides (VIII, 1) narrat. Sed non solum infimam plebem, sed etiam viros ingenio praeditos tali superstitioni nimis indulsisse comprobant ea, quae Plutarchus nonnullis Niciae vitae locis de ejus *εἰς τὸ θεῖον ἐπιτηδεύσει* dicit, quam Aristophanes lepidissime irridet in Equitt. vss. 30 sqq.

40) Nonnullos vates eo petulantiae progressos esse, ut vel arte ventriloquorum, si hac voce ab aurea aetate aliena uti mihi licet, divinae naturae speciem oraculis suis addere non contemnerent, apparet ex vespp. 1019.

vaticinia accepisse simulabant ejusque insignia usurpare audebant. Hierocles exempli gratia (Pac. 1044) *δάφνῃ ἐστεφανωμένος* in scenam prodit. Quo majorem autem vim ad infimae plebis animos exercebant, eo magis viri probi delendae eorum auctoritati sua sponte studebant, quum civitatis leges, quae humana oracula a divinis discernere non poterant, rei tam subtili occurrere non auderent. Ut autem Athenis comoedia semper fere privatae justitiae munere fungebatur, ita etiam mendaces vates a comicis poëtis tanta cavillationum mole obruebantur, ut non ludibrium, sed paene odium jocis inesse videretur. Optima forma, qua ad irridendos et *χρησμοὺς* et *χρησμολόγους* uti poterant, quasi ultro se praebuit: est illud transferendorum versuum in omnium oribus versantium genus, quod *παρῳδίαν* appellare grammatici solent [41]). In Aristophanis solius comoediis triginta fere loci exstant, in quibus vaticinia et oracula partim ex aliis commutata, partim suo jure inventa profert. Quae hic colligere et pro discrimine modo proposito disjungere fortasse non inutile erit, quum permultis aliis in quaestionibus Aristophanis *χρησμολογία* non nullius sit momenti.

A. Oracula, quae ex aliis commutavit Aristophanes.

1. Oraculorum certamen, quo modo Cleo, modo botularius in suam partem Populum trahere conatur: ille a Bacide, hic a Glanide vaticinia sua profecta esse contendit.

   a. equitt. 962: Cleo, ut botularii voluntatem in suspicionem vocet, Populum ita alloquitur: *ἀλλ' ἐὰν τούτῳ πίθῃ, μολγὸν γενέσθαι δεῖ σε.* Ad quem locum spectare videtur Poll. X, 187: *μολγός ὁ βόειος ἀσκός — καὶ Ἀριστοφάνης χρησμόν τινα παίζει·*

   Μή μοι Ἀθηναίους αἴνει, μολγοὶ γὰρ ἔσονται [42]).

---

41) cf. Horat. Sat. I, 9, 31—34.
42) cf. Lobeck, Aglaoph. II, 966.

b. equitt. 1011 sqq. Populus aemulos, ut sua uterque oracula proferat, admonet:

ἄγε νυν ὅπως αὐτοὺς [τοὺς χρησμοὺς] ἀναγνώσεσθέ μοι,
καὶ τὸν περὶ ἐμοῦ 'κεῖνον ᾧπερ ἥδομαι,
ὡς ἐν νεφέλαισιν αἰετὸς γενήσομαι[43])

c. ibid. 1036 sqq.

Cleo: *Ἔστι γυνή, τέξει δὲ λέονθ' ἱεραῖς ἐν Ἀθήναις*[44]),
ὃς περὶ τοῦ δήμου πολλοῖς κώνωψι μαχεῖται,
ὥστε περὶ σκύμνοισι βεβηκώς· τὸν σὺ φύλασσε,
τεῖχος[45]) *ποιήσας ξύλινον πύργους τε σιδηροῦς.*

d. equitt. 1059. Oraculi, quod quominus decantet Cleo interpellante Populo impeditur, Scholiasta teste hoc est initium:

Ἔστι Πύλος πρὸ Πύλοιο, Πύλος γε μέν ἐστι καὶ ἄλλη.

2. avv. 967 sqq. *χρησμολόγος* cum Pisthetaero communicat, quid Bacis de Nephelococcygia vaticinatus sit:

Ἀλλ' ὅταν οἰκήσωσι λύκοι πολιαί τε κορῶναι

---

43) Schol. *ἐγένετο χρησμὸς τοῖς Ἀθηναίοις περὶ τοῦ δήμου αὐτῶν λεγόμενος·*
εὔδαιμον πτολίεθρον Ἀθηναίης ἀγελείης,
πολλὰ ἰδὸν καὶ πολλὰ παθὸν καὶ πολλὰ μογῆσαν,
αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι ἤματα πάντα. cf. avv. 978.

44) Verisimillimum est, Aristophanem alludere ad oraculum quoddam Herodoto teste (V, 92) Corinthiis de Cypselo futuro tyranno editum:
Αἰετὸς ἐν πέτρῃσι κύει, τέξει δὲ λέοντα,
Καρτερὸν, ἀμηστήν· πολλῶν δ' ὑπὸ γούνατα λύσει,
Ταῦτά νυν εὖ φράζεσθε, Κορίνθιοι —.

45) Oraculi ante pugnam Salaminiam editi, quod Themistocles solus recte explicuit, hoc est initium:
τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεύς
μοῦνον ἀπόρθητον τελέειν διὰ Παλλάδα κούρην κ. τ. λ.

ἐν ταὐτῷ τὸ μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος[46]),
„*πρῶτον Πανδώρᾳ θῦσαι λευκότριχα κρίον·*
ὃς δέ κ' ἐμῶν ἐπέων ἔλθῃ πρώτιστα προφήτης,
τῷ δόμεν ἱμάτιον καθαρὸν καὶ καινὰ πέδιλα,
καὶ φιάλην δοῦναι, καὶ σπλάγχνων χεῖρ' ἐπιπλῆσαι.
κἂν μὲν, θέσπιε κοῦρε, ποιῇς ταῦθ' ὡς ἐπιτέλλω,
αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι[47])*· αἰ δέ κε μὴ δῷς,*
οὐκ ἔσει οὐ τρυγὼν οὐδ' αἰετός, οὐ δρυκολάπτης.

3. Pac. 1090 sqq. Trygaeus contra Hieroclis oraculum (B, 6) hunc *χρησμόν*, cujus auctorem Homerum esse fingit, in medium profert:

Ὡς οἱ μὲν νέφος[48]) *ἐχθρὸν ἀπωσάμενοι*[49]) *πολέμοιο*
Εἰρήνην εἵλοντο καὶ ἱδρύσανθ' ἱερείῳ.
αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο[50]),
ἔσπενδον δεπάεσσιν[51])*· ἐγὼ δ' ὁδὸν ἡγεμόνευον·*
χρησμολόγῳ δ' οὐδεὶς ἐδίδου κώθωνα φαεινόν.
— — — — — — — — — —
ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος[52]).

B. Oracula, quae suo jure Aristophanes invenit:

1. Bacidis vaticinia Cleoni a Nicia clam ablata.

a. equitt. 128 sqq.

ΔΗΜΟΣΘΕΝΗΣ: ὁ χρησμὸς ἄντικρυς λέγει,
ὡς πρῶτα μὲν στυππειοπώλης[53]) *γίγνεται,*
ὃς πρῶτος ἕξει τῆς πόλεως τὰ πράγματα.
ΝΙΚΙΑΣ: εἷς οὑτοσὶ πώλης· τί τοὐντεῦθεν; λέγε.
ΔΗΜ. μετὰ τοῦτον αὖθις προβατοπώλης[54]) *δεύτερος.*

---

46) Schol. *Αἰσώπῳ τῷ μυθογράφῳ χρωμένῳ περὶ πλούτου ὁ θεὸς εἶπεν,*
εἰς τὸ μέσον κτίσαι Κορίνθου καὶ Σικυῶνος,
εὔφορος γὰρ αὕτη ἡ χώρα.

47) cf. A, 1, b.

48) Iliad. XVII, 273.

49) Iliad. XVI, 301.

50) Iliad. I, 467.

51) Odyss. VII, 173.

52) Iliad. IX, 63 sq.

53) Eucrates.

54) Callias aut ex aliorum sententia Lysicles.

NIK. δύο τώδε πώλα. καὶ τί τόνδε χρὴ παθεῖν;
ΔΗΜ. κρατεῖν, ἕως ἕτερος ἀνὴρ βδελυρώτερος
αὐτοῦ γένοιτο· μετὰ δὲ ταῦτ' ἀπόλλυται·
ἐπιγίγνεται γὰρ βυρσοπώλης ὁ Παφλαγών,
ἅρπαξ, κεκράκτης, κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων.
— — — — — — — — — —
ἀλλαντοπώλης ἐσθ' ὁ τοῦτον ἐξελών.

b. equitt. 197—201:

'Αλλ' ὁπόταν μάρψῃ βυρσαίετος [55]) ἀγκυλοχήλης
γαμφηλῇσι δράκοντα κοάλεμον αἱματοπώτην,
δὴ τότε Παφλαγόνων μὲν ἀπόλλυται ἡ σκοροδάλμη,
κοιλιοπώλῃσιν δὲ θεὸς μέγα κῦδος ὀπάξει,
αἴ κα μὴ πωλεῖν ἀλλᾶντας μᾶλλον ἕλωνται.

2. Cleo botulario interroganti, cur Populum quominus pacem iniret impediverit, respondet; equitt. 797 sqq.

ἵνα γ' Ἑλλήνων ἄρξῃ πάντων. ἔστι γὰρ ἐν τοῖς λογίοισιν
ὡς τοῦτον δεῖ ποτ' ἐν Ἀρκαδίᾳ πεντώβολον ἡλιάσασθαι.

3. Oraculorum certamen (cf. A. 1).

a. equitt. 965 sq.

Cleo: ἀλλ' οἵ γ' ἐμοὶ [χρησμοὶ] λέγουσιν ὡς ἄρξαι σε δεῖ
χώρας ἁπάσης ἐστεφανωμένον ῥόδοις.

b. ibid. 967 sq.

Botularius: οὑμοὶ δέ γ' αὖ λέγουσιν ὡς ἁλουργίδα
ἔχων κατάπαστον καὶ στεφάνην ἐφ' ἅρματος
χρυσοῦ διώξεις Σμικύθην καὶ κύριον.

c. ibid. 1014 sqq.

Cleo: Φράζευ, Ἐρεχθείδη, λογίων ὁδόν, ἥν σοι Ἀπόλλων
ἴαχεν ἐξ ἀδύτοιο διὰ τριπόδων ἐριτίμων,

55) De crebra aquilae in oraculis mentione cf. Lobeck, Aglaoph. II, 967.

σῴζεσθαί σ' ἐκέλευσ' ἱερὸν κύνα καρχαρόδοντα,
ὃς πρὸ σέθεν χάσκων καὶ ὑπὲρ σοῦ δεινὰ κεκραγὼς
σοὶ μισθὸνποριεῖ, κἂν μὴ δρᾷς ταῦτ', ἀπολεῖται.
πολλοὶ γὰρ μίσει σφε κατακρώζουσι κολοιοί.

d. ibid. 1030 sqq.

Botularius: Φράζευ, Ἐρεχθείδη, κύνα Κέρβερον ἀνδραποδιστήν,
ὃς κέρκῳ σαίνων σ' ὁπόταν δειπνῇς ἐπιτηρῶν,
ἐξέδεταί σου τοὔψον, ὅταν σύ που ἄλλοσε χάσκῃς·
ἐσφοιτῶν τ' ἐς τοὐπτάνιον λήσει σε κυνηδὸν
νύκτωρ τὰς λοπάδας καὶ τὰς νήσους διαλείχων.

Vss. 1051—1057 ii, qui oraculum inesse censent, parum accurate intellexisse mihi videntur: hexametri quidem forma argumento iis esse non potest, quum ipsa verba procul dubio multo magis dialogi, quam oraculi naturae conveniant et praeterea vss. 1090—1095 illud metrum non in solis oraculis ab Aristophane usurpatum esse comprobent.

e. ibid. 1067 sq. Botularius: Αἰγείδη, φράσσαι κυναλώπεκα, μή σε δολώσῃ,
λαίθαργον, ταχύπουν, δολίαν κερδώ, πολύϊδριν.

f. ibid. 1080—1089:

Botularius: ἀλλ' ἔτι τόνδ' ἐπάκουσον, ὅν εἶπέ σοι ἐξαλέασθαι,
χρησμὸν Λητοΐδης, Κυλλήνην, μή σε δολώσῃ.

Populus: ποίαν Κυλλήνην; Bot. τὴν τούτου χεῖρ' ἐποίησεν
Κυλλήνην ὀρθῶς, ὁτιή φησ', ἔμβαλε κυλλῇ.

Cleo: οὐκ ὀρθῶς φράζει· τὴν Κυλλήνην γὰρ ὁ Φοῖβος
ἐς τὴν χεῖρ' ὀρθῶς ᾐνίξατο τὴν Διοπείθους.
ἀλλὰ γάρ ἐστιν ἐμοὶ χρησμὸς περὶ σοῦ πτερυγωτός,

αἰετὸς ὡς γίγνει[56]) *καὶ πάσης γῆς βασιλεύσεις,*

Bot. *καὶ γὰρ ἐμοί· καὶ γῆς καὶ τῆς ἐρυθρᾶς γε θαλάσσης,*

χὤτι γ᾽ ἐν Ἐκβατάνοις δικάσεις, λείχων ἐπίπαστα.

4. equitt. 1229—1248: Oraculum Cleoni victorem describens, de quo jam supra dixi.

5. vespp. 158: Philocleo condemnandi furorem ita excusat:

ὁ γὰρ θεὸς
μαντευομένῳ μοὔχρησεν ἐν Δελφοῖς ποτέ,
ὅταν τις ἐκφύγῃ μ᾽, ἀποσκλῆναι τότε.

6. Pac. 1063 sqq. Oraculum, quod Hierocles edit certior factus, Trygaeum Pacis sacrificiis operari:

ὦ μέλεοι[57]) *θνητοὶ καὶ νήπιοι, — — — —*
οἵτινες ἀφραδίῃσι θεῶν νόον οὐκ ἀΐοντες
συνθήκας πεποίησθ᾽ ἄνδρες χαροποῖσι πιθήκοις,
καὶ κέπφοι τρήρωνες ἀλωπεκιδεῦσι πέπεισθε,
ὧν δόλιαι ψυχαί, δόλιαι φρένες. — — —
εἰ γὰρ μὴ Νύμφαι γε θεαὶ Βάκιν ἐξαπάτασκον,
μηδὲ Βάκις θνητούς, μηδ᾽ οὖ Νύμφαι Βάκιν αὐτόν,
οὔπω θέσφατον ἦν Εἰρήνης δέσμ᾽ ἀναλῦσαι,
ἀλλὰ τόδε πρότερον — — — — — — —
οὐ γάρ πω τοῦτ᾽ ἐστὶ φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν,
φυλόπιδος λῆξαι, πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.
ὡς ἡ σφονδύλη φεύγουσα πονηρότατον βδεῖ,
χὴ κώδων ἀκαλανθὶς ἐπειγομένη τυφλὰ τίκτει,
τουτάκις οὔπω χρῆν τὴν εἰρήνην πεποιῆσθαι.

7. avv. 982 sqq. Pisthetaerus audito *χρησμολόγου* de Nephelococcygia vaticinio (A, 2) se ab Apolline hoc oraculum ad illum ipsum spectans accepisse simulat:

56) cf. A, 1, b.

57) cf. Herodot. VII, 140.

Αὐτὰρ ἐπὴν ἄκλητος ἰὼν ἄνθρωπος ἀλαζὼν
λυπῇ θύοντας καὶ σπλαγχνεύειν ἐπιθυμῇ.
δὴ τότε χρὴ τύπτειν αὐτὸν πλευρῶν τὸ μεταξύ,
καὶ φείδου μηδὲν μηδ᾽ αἰετοῦ ἐν νεφέλῃσιν,
μήτ᾽ ἢν Λάμπων ᾖ μήτ᾽ ἢν ὁ μέγας Διοπείθης.

8. Lys. 770: Oraculum, quo Lysistrata mulieres libidinosas et intemperantes ut obdurent cohortatur[58]):

Ἀλλ᾽ ὁπόταν πτήξωσι χελιδόνες εἰς ἕνα χῶρον,
τοὺς ἔποπας φεύγουσαι, ἀπόσχωνται δὲ φαλήτων,
παῦλα κακῶν ἔσται, τὰ δ᾽ ὑπέρτερα νέρτερα θήσει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης. — — — — — — — —
ἢν δὲ διαστῶσιν καὶ ἀναπτῶνται πτερύγεσσιν
ἐξ ἱεροῦ ναοῖο χελιδόνες οὐκέτι δόξει
ὄρνεον οὐδ᾽ ὁτιοῦν καταπυγωνέστερον εἶναι.

9. Plut. 40 sqq. Apollinis oraculi Chremylo editi jam supra mentionem feci. Ipse Carioni servo rem ita narrat:

σαφῶς γὰρ ὁ θεὸς εἶπέ μοι τοδί·
ὅτῳ ξυναντήσαιμι πρῶτον ἐξιών,
ἐκέλευε τούτου μὴ μεθίεσθαί μ᾽ ἔτι
πείθειν δ᾽ ἐμαυτῷ ξυνακολουθεῖν οἴκαδε.

Ex deperditis comoediis imprimis *Πολύϊδος* et *Τελμησσῆς* irridendorum vaticiniorum consilium prae se tulisse. videntur[59]). Trophonii[60]) oraculum uno tantum loco (nub. 508) levi joco tangitur, quippe cujus

58) Longius arcessitum est, quod Bergl. ad hunc locum annotat: Videtur prae oculis habuisse oraculum, quod exstat apud Herodotum in Eratone:

ἀλλ᾽ ὅταν ἡ θήλεια τον ἄρσενα νικήσασα
ἐξελάσῃ καὶ κῦδος ἐν Ἀργείοισιν ἄρηται.

59) cf. Bergk, Arist. fragm. pag. 245 et 270. In priori comoedia fabula, quae Minois filium Glaucum Polyidi argivi vatis arte ad vitam revocatum esse narrat, illi consilio inservit: altera nomen duxit a Telmesso, Cariae urbe, oraculis, prodigiis, somniis abundante (Cic. de div. I, 41. 42.)

60) cf. Cic. de nat. D. III, 19, 49. de div. I, 34, 74.

arcanae vires, quas mente assequi illius aetatis homines ob exiguam physicorum scientiam non poterant, animis verecundiam quandam injicerent, quae cavillationi locum non relinqueret. Ex Amphiarai [61]) fragmentis intelligimus, Aristophanem tanti mendacis *μαντικῆς* detrimenta fecisse, ut neutiquam contemneret, vel totam comoediam ea mente docere, ut cives tam perniciosae mentis caecitati eriperet.

Sed non solum in vaticiniis temere credendis, sed multis aliis in rebus Atheniensium, hominum religiosissimorum, superstitio elucebat. Prodigia, omina, somnia, artes magicae, umbrarum larvarumque metus adeo eorum animos occuparant, ut omnibus fere in rebus publicis et privatis vim aliquam exercerent. Graecae historiae scriptores multa nobis tradiderunt exempla, ex quibus quantam auctoritatem omnes Graeci ominibus tribuerint intelligimus. Ut unum tantum afferam, Xenophon in Hellenicis narrat, Athenienses inde quod Alcibiadis reditus cum Plynteriis in eundem diem inciderit, calamitates praesagiisse [62]). Ejusmodi divinationes Aristophanes in illo Lysistratae loco [63]) deridet, ubi Probulus Siciliensis expeditionis cladem ei casui tribuit, quod eodem tempore, quo Demostratus in concione popularibus eam proposuerit, mulieres Adonia celebrantes tectisque insidentes lamentationes ediderint. Ex Acharnensium vs. 169, ubi Dicaeopolis, quod im-

---

61) De Amphiari oraculo cf. Cic. de nat. D. III, 19, 49. Pausan. I, 34. — V. imprimis fragm. VIII:

Ὀσφὺν δ' ἐξ ἄκρων διακίγκλισον ἠΰτε κίγκλος
ἀνδρὸς πρεσβύτου· τελέειν δ' ἀγαθὴν ἐπαοιδήν.

„Haec ad modum oraculi praecipiuntur mulieri, ut senis robur excitet.“ Bergk fragm. pag. 67.

62) Xen. Hell. I, 4, 12: *Ἀλκιβιάδης κατέπλευσεν ἐς τὸν Πειραιᾶ ἡμέρᾳ, ᾗ πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις — —, ὃ τινὲς οἰωνίζοντο ἀνεπιτήδειον εἶναι καὶ αὐτῷ καὶ τῇ πόλει.* Simile exemplum exstat in Thuc. II, 8.

63) 389 sqq.

bris gutta in ipsius caput incidente *διοσημία* facta sit, concionem haberi vetat, colligere nobis licet, homines astutos ut Romae, ita etiam Athenis rebus divinis ad rempublicam suo arbitrio administrandam interdum abusos esse, quippe qui rem aliquam oculis forte se praebentem *διοσημίαν* esse contenderent concionemque dimitti vel simile quid juberent. Idem prodigiorum furor lepide irridetur in equitt. 639. vespp. 260 sqq. 1084. plut. 82., luculentissime autem in Avium vss. 719 sqq., ubi volucer chorus sui regni commoda spectatoribus latius et fusius exponens haec dicit:

ὄρνιν τε νομίζετε πάνθ' ὅσαπερ περὶ μαντείας διακρίνει·
φήμη γ' ὑμῖν ὄρνις ἐστί, πταρμόν τ' ὄρνιθα καλεῖτε,
ξύμβολον ὄρνιν, φωνὴν ὄρνιν, θεράποντ' ὄρνιν, ὄνον ὄρνιν·
ἆρ' οὐ φανερῶς ἡμεῖς ὑμῖν ἐσμὲν μαντεῖος Ἀπόλλων;

Sed aliorum quoque superstitionis generum, in quibus Atheniensium animi versabantur, Aristophanes nonnulla traducit. Quamvis ille equitum locus (vs. 83), ubi Nicias inveteratum errorem secutus ad malam conditionem effugiendam conservo commendat se ipsos sanguinis taurini veneno [64]) intercipere, huc referri nequeat, quum poëta ipse, ut omnes veteres, falsae istius opinionis particeps fuisse videatur, tamen non desunt alii loci huc pertinentes. In nub. vs. 749 Strepsiades ad evitandam *νουμηνίαν*, qua usuras solvi Atheniensium leges jusserant, thessalicae magae auxilio [65]) lunam coelo depromere sibi proponit. Alia anilis Atheniensium superstitio, qui mortem ei esse obeundam crede-

---

64) cf. Herod. III, 15. Diodor. IV. 50. XI, 58. (Wesseling.) Ctes. Persic. X. Strab. I, pag. 164 (Siebenkäs). Val. Flacc. I, 118. Plut. de superst. VIII. Plut. Themist. XXXI (et quae Sintenis annotavit). Marx, Lehre von den Giften. I, 2, p. 168 etc.

65) Quantae vires arcanae sagis thessalicis a veteribus tributae sint, ex iis quos interpretes cum l. l. conferri jubent locis, intelligi potest: Plat. Gorg. 513. a. Hor. Epod. XVII, 77 sqq. Ov. Met. VII, 207. Virg. ecl. III, 69.

bant, qui in arce *ὄφιν οἰκοῦρον* conspexisset, in Lys. vs. 758, magica annulorum vis in Pluti vs. 885, larvarum, ut Empusae, Mormonis metus Pac. 474. Ach. 574. ran. 293. eccl. 1056. jocose tangitur.

In secundo, quod supra proposui, genere locorum ad divinas res spectantium poëta ridiculum quidque ex multis fabulis de deorum natura pervulgatis ad cachinnos captandos eligit nimiumque in modum auget sine ulla acerbitate. Comicis facetiarum materia undique erat sumenda: joculares autem de diis opiniones, quas vel in vulgaribus tonstrinarum sermonibus cavillationem effugere non potuisse nonnulli loci ostendunt[66]), permultum illuc contulisse, dummodo divina earum medulla intacta relinqueretur, ultro intelligitur. Imprimis autem poëtarum[67]) fictiones deos omnibus hominum vitiis foedantes ejusmodi jocos provocarant. In medio relinquendum est, utrum Aristophanes Pindari exemplum secutus divinas heroïcasque fabulas irrisione in-

---

66) Ubi (nub. 903 sqq.) justae causae defensorem adversarius interrogat, quomodo *Δίκη* apud deos esse possit, quorum rex, Jupiter suum ipsius patrem vinculis onerare sit ausus (cf. Plat. Euthyphr. pag. 5. 6.), ille respondet: *τουτὶ καὶ δὴ χωρεῖ τὸ κακόν* i. e. objicis illud, quod jam antea multi ad refellendam deorum justitiam proposuerunt. Nec minus illa injustae causae patroni oratio (1079), qua Phidippidem in adulterio captum ad Jovem provocare posse dicit, non prorsus nova fuisse mihi videtur: non dubito, quin etiam antea nonnemo ad excusandas libidines se ipsum ita allocutus sit: *κἀκεῖνος ἥττων ἔρωτός ἐστι καὶ γυναικῶν, καί τοι σὺ θνητὸς ὢν θεοῦ πῶς μεῖζον ἂν δύναιο* *);

67) Xenophanes apud Sext. Emp. adv. Phys. I. 193. p. 593. Fabr. *πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρος Ἡσίοδός τε*
Ὅσσα παρ᾽ ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶ,
Κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

*) Ceterum hunc locum mediae comoediae poëta imitatus esse ejusque sententia inde in Terentii Eunuchum (III, 5, 36 sqq.) transiisse videtur.

Quid Romani in universum de rebus divinis comparandis cum humanis cogitarint, intelligatur e Catulli carmine 68, 138 sqq.

dignis partibus et ineptis nugis purgare in animum induxerit necne: id tantum contendere licet, eum si revera tale quid sibi proposuerit, plane contrario modo usum esse, atque Pindarum. Si Pindarus dicit (Ol. I, 55): *ἔστι δ᾽ ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά*, vel (l. l. 82): *ἐμοί δ᾽ ἄπορα γαστρίμαργον μακάρων τιν᾽ εἰπεῖν, ἀφίσταμαι*, si igitur quae diis indigna ei esse videntur silentio praeterit, Aristophanes etiam in majus ea extollit et ita veritatis modum excedendo justa luce circumfundit. Cujus irridendi generis quum innumera apud eum exstent exempla, plura de iis disserere vix necesse est. Hoc unum ad comprobandam eam, quam primo loco protuli sententiam addere mihi liceat, etiam hic clarissime elucere, quantopere poëta gentilibus Atheniensium diis pepercerit. Fabulae, quae de Apolline et Minerva traditae erant, procul dubio in earum numerum referendae sunt, quas humanae sordes minime inquinarunt: attamen paucas quoque earum partes, quae cavillationem admittebant, diligentissime poëta videtur evitasse. In Avium vss. 544 sqq., ubi Pisthetaerus festive proponit, deos terra intercludere, ne cum mulierculis humanis ut antea rem habere possint, Jovis et Neptuni, minime autem Apollinis amores commemorantur: in ejusdem fabulae vss. 471 sqq., ubi Pisthetaerus aves ante terram exstitisse inde colligit, quod Aesopo auctore cassita terra carens patrem mortuum in ipsius capite sepeliverit, Aristophani, qui per totam hanc comoediam avium conditionem cum deorum comparare quam maxime adamat, optima data erat facultas in medium proferendae illius fabulae, quae Minervam ex Jovis patris capite natam esse narrat: nihil enim est, quod magis priori illi fabulae ex altera parte respondeat. Sed minime haec urgere velim, ne poëtae quid scribat praecepisse videar: constat utique, Aristophanem nunquam de Apolline vel Minerva simili modo jocari ausum esse, ac de Jove, Baccho, Mercurio, Hercule.

Restat, ut in considerando tertio genere locorum, qui deos et res divinas comoediae immiscent, paullum commoremur. Omnia huc referenda esse mihi videntur, quae ab Aristophane in scenam producta sunt non ea mente, ut ludibrio haberentur, sed ut in ipsarum fabularum progressu aliquid valerent. Minime in animo est, negare, saepius etiam hic jocos admisceri: hoc tantum contenderim, ejusmodi locis res divinas non jocorum, sed ipsarum causa spectatorum auribus oculisque praeberi. Graeci omnibus fere negotiis sacram quandam speciem induere solebant sacrificiis, precationibus aliisque rebus: si meminerimus, quantus exeunte saeculo quinto dierum festorum numerus et publice et privatim fuerit, non mirabimur, Athenienses qui omnino praeter judicandum et concionandum paucis tantum muneribus fungebantur, maximam temporis partem sacris procurandis impendisse. Quae autem in quotidiana vita tanti erant momenti, etiam in comoedia quae plurimas imagines ex illius provincia sibi sumebat, praetermitti non poterant, praesertim quum Athenienses spectandi studiosissimi pompis, sacris aliisque cerimoniis in scenam productis eximie delectarentur. Quare in permultis Aristophanis fabulis sacrificia in conspectum nobis dantur nulli alii consilio inservientia, quam rite peragendae fabulae actioni. Trygaeus non sine libatione Pacem tenebrosis latebris eripere tentat, in terram reductam solenni sacrificio celebrat, Pisthetaerus nova urbe condita debitis sacris operatur, Praxagora ante muliebrem concionem piaculum circumferri jubet[68], Chremylus certe post scenam[69] Pluto sanato diis suem, caprum, arietem mactat, in Daetalensibus

68) Hic poëta levem jocum admisit mustela debito porco substituta.

69) Cohaerere hoc videtur cum angustiis et publici aerarii et singulorum rei familiaris, quae sumptuosiores fabulas doceri illo tempore vetuerunt.

poëta homines nobiles in fano aliquo Herculis sacrificantes et epulantes fingit. Non minores autem partes precationes agunt, quae ubicunque facultas datur, actioni immiscentur: ut taceam de lyricis chori carminibus, quorum natura in altera commentationis parte accuratius describenda est, saepissime homines vel diserta prece[70] vel subita exclamatione[71] ad deos se convertunt, quibus salutem suam credant. Etiam ad solenne jusjurandum[72] homines nonnunquam in scena adiguntur: ante omnes autem sacras actiones *εὐφημία* praesentibus imperari solet, ne verbis male ominatis religiones perturbentur[73].

Ita igitur, ut quibus de rebus adhuc verba fecerimus breviter colligamus et commoneamus, Aristophanem vidimus *πατρῴοις* Athenarum *θεοῖς* diligenter pepercisse, alios deos resque divinas ita irrisisse, ut religiones peregrinas caecamque popularium superstitionem acriter perstringeret, humana deorum vitia, quae imprimis poëtae iis affinxerant, cum lenitate quadam traduceret, divini cultus cerimoniis eo tantum consilio uteretur, ut in ipso fabularum progressu alicujus essent momenti.

II.

In altera commentationis parte exponere in animum induxi, primum quam sententiam Aristophanes ipse de diis tulerit et de rebus divinis, deinde quid irridendis

70) cf. Ach. 263—279. nub. 264—274. pac. 430—457. 973—1016. av. 848—1118. thesm. 282—291. 295—311.

71) vesp. 323. 389. 860. Lys. 742. 973. eccl. 369. ran. 886. 892.

72) Lys. 182—239. thesm. 270—276. nub. 1232.

73) equitt. 1316. nub. 263. 297. Ach. 241. vesp. 868. pac. 96. 434. 1316. av. 959. thesm. 39. 295. ran. 353.

religionibus peregrinis et superstitionibus apud populares profecerit, postremo quomodo impietatis crimen effugere potuerit.

Primae quaestionis paullo difficilior est natura, quum nimis rari et dissipati sint ii loci, ex quibus tale quid enucleare nobis liceat. Tamen quum non desint argumenta, quae ad judicandum Aristophanis pium animum aliquid valeant, accuratius in rem inquiramus. Mihi quidem cum toto ejus ingenio, quod semper prisci rerum status laudes praedicat, auream *Μαραθωνομάχων* aetatem sui temporis hominibus ut speculum proponit, rebus novis constanter resistit, quam maxime consentaneum esse videtur, eum veteribus quoque religionibus quamvis puriore quadam veste indutis libenter indulsisse. Quod ut credam, ante omnia me adducunt illi loci, in quibus vera poëtae ora sub larva quasi prospiciunt. In nubibus nonnullos ejusmodi locos invenimus, ex quibus, quae vera sit poëtae sententia, elucet. Inde a versu 1453 Strepsiades, qui magno cum dolore vidit, cujus modi progressus Phidippides filius Socrate sapientiae praeceptore fecerit, gravissime de nubium perfidia queritur, quibus temere credens tanta calamitate affectus sit. Illae autem, quae antea Socratis deas veris deis infestas se esse finxerant, subito in justam conditionem redeunt senique respondent, se ita consuevisse, ut semper si quem in mala studia inclinantem viderent, confirmando errore calamitates ei inferrent, *ὅπως ἂν εἰδῇ τοὺς θεοὺς δεδοικέναι.* Si ejusdem comoediae versum 1507 sq.:

δίωκε, βάλλε, παῖε, πολλῶν οὕνεκα,
μάλιστα δ' εἰδὼς τοὺς θεοὺς ὡς ἠδίκουν,

cum Bergkio facientes non Strepsiadi tribuimus, sed Nubium choro, ad veram earum conditionem etiam propius accedimus, quum postremo in eos ipsos, a quibus se deas crear simulate passae sunt, ut germanorum deorum auctoritatis ultrices se convertant. Sed

in eadem fabula alius inest locus, qui quamvis pro ipsius comoediae progressu in contrariam partem verti posse videatur, tamen re vera ei sententiae, quam supra proposui, est argumento. Totum certamen, quod justae et injustae causae patroni ineunt, a poëta ita dispositum est, ut quamvis hic superior pugna discesserit, tamen reapse illum vicisse nemo spectatorum non sentiret. Omnia, quae injustus causidicus adversus pietatem et honestatem profert, tam certis fallacium dicendi artium signis notata sunt, ut omnes ridentes ei assentirent, severe autem rem intuentes adversario astipularentur.

Nullum exstat vestigium, quod eo adducere nos possit, ut Aristophanem deos negasse censeamus: contra omnes loci, qui ad hunc morbum ab illa aetate minime alienum spectant, poëtam *ἀθέοις* minime assensisse comprobant. Socratem valde immerito deum ex rerum natura sustulisse (nub. 246) idemque Strepsiadi ejusque filio persuasisse (nub. 366. 817. 1468), fabulae exitus demonstrat: in thesmoph. vss. 448 sqq. Euripidi festive a vetula opprobrio datur, quod Atheniensibus deos non esse persuaserit et ita nectendarum corollarum quaestu ipsam privarit. In Equitt. vss. 30 sqq., ubi Nicias deos esse inde colligit, quod ipse diis sit invisus, ii tantum lepide irrideri mihi videntur, qui praesentes deos mundum gubernare ridiculis argumentis non sufficientibus confirmare tentabant. Sed erant Athenis, qui publice quidem deos non esse profiteri non auderent, revera autem se ita credere eo indicarent, quod deorum vanitate ideoque ipsorum impunitate freti temere pejerarent. Imprimis *δημαγωγοὺς* nonnunquam turpi hoc auxilio usos esse, ut populo quidlibet persuaderent, ex nonnullis locis, qui acerrime illam petulantiam aggrediuntur, intelligitur. Justam talis hominis poenam Pluti versus 716—725 describunt: Neoclides noctem in Aesculapii templo degit, ut lippi-

tudine liberetur: medicus autem deus medicamentis adurentibus utens tanto eum dolore afficit, ut lamentationes edens foras confugiat: ille ridens haec addit:

ἐνταῦθα νῦν κάθησο καταπεπλασμένος,
ἵν' ἐπομνύμενον παύσω σε τῆς ἐκκλησίας.

In equitt. vss. 424 sqq. orator quidam ex pueri perjurio per deos facto colligit, eum concionatorem virumque popularem esse futurum.

Etiam in periculosum illud sophistarum praeceptum, quod optime cum eo, quod media aetate 'reservatio mentalis' appellari solebat, conferri potest, Aristophanes plus semel invehitur. Euripides, qui omnino persaepe suae aetatis philosophorum, imprimis Anaxagorae decreta poëtica induit veste, illud quoque improbissimum praeceptum nescio cujus sophistae celeberrimo Hippolyti versu (612):

ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος

coram populo profiteri ausus est. Haec igitur verba nemini Atheniensium ignota poëtae nostro ansam praebent perstringendarum talium argutiarum, cf. thesm. 270—276. ran. 101. 1471.

Rerum scriptores nobis narrant, bello peloponnesiaco perjuria adeo increbruisse, ut nulla fere sacramento esset auctoritas. Lacedaemoniorum perfidia ab Aristophane saepius traducitur (Ach. 308. Lys. 629. pac. 1068): quantus illo tempore fuerit perjuriorum numerus, intelligere licet ex Avium vss. 1608—1613: incredibilem autem levitatem ac temeritatem in iis committendis poëta describit Lys. versu 914, ubi Cinesias, ut uxorem ad violandum sacramentum adducat, haec dicit: *εἰς ἐμὲ τράποιτο· μηδὲν ὅρκου φροντίσῃς.* In Ranarum vs. 150 perjuri inter eos enumerantur, qui peculiarem supplicii locum in orco obtinent. Equidem nullum in Aristophane locum invenisse confiteor, quem ita explicari oporteat, ut Aristophanem *ἄθεον* fuisse inde appareat: e contrario omnia, quae adhuc consideravimus,

eum impietatem omniaque vitia acriter insectatum esse ostendunt. Sed hic non est subsistendum: exstant nonnulli loci, quamvis paucissimi, quibus poëta non solum injusta ratione neganda, id quod alias facere semper solet, sed etiam vera proponenda, quid de divinis rebus judicet, nobis indicat.

Cogitationem numinis cujusdam *κατ' ἐξοχήν*, quae jam apud Homerum Hesiodumque nonnunquam nobis occurrit, ab eo minime alienam fuisse, enunciata ut *ἢν θεὸς θέλῃ* (pac. 939. 1187. plut. 347. 1188.), *εἰ θεός θέλοι* (ran. 533), *σὺν θεῷ δ' εἰρήσεται* (plut. 114) aliaque similia (cf. equitt. 229. pac. 1140. 1143. 1158. thesm. 684.) comprobant nec minus *Τύχῃ* sive Fortunae auctoritatem quandam eum tribuisse ex pac. 360. 939. av. 544. 1315. eccl. 131 perspicitur.

Etiam in lyricis illis chori carminibus, quae persaepe precationes vel hymnos purissimo poësis spiritu afflatos continent, pius poëtae animus elucescit. Cavendum est, ne has comoediae partes, quae a propria ejus natura tantopere abhorrere videntur, temere canticorum tragicorum *παρῳδίαν* esse censeamus. Quum ex eodem fonte [74]) et comoediam et tragoediam profectam esse constet, nil mirandum est, quod uterque ejusdem stirpis ramus illa cantica, quae in primaria dramatis forma maximi momenti fuisse novimus, suo jure alterius nullam rationem habens propagarit.

Attamen poëta dialecticam suae aetatis eruditionem, quam saepe acerrime aggreditur, non plane effugere potuit, sed nonnunquam ad refellenda sophistarum nova praecepta ipsa eorum arte utitur. Praeterea non cer-

---

74) Scio, tragoediae originem ad Lenaea, comoediae ad rustica Dionysia referendam esse (cf. Otfr. Müller, griech. Lit. gesch. II, pag. 196): tamen, quum hic de lyricis carminibus agatur, quae utriusque illius cultus partes erant, tragoediae et comoediae eundem fontem fuisse contendere licet.

tam quandam graecarum religionum formam, qualis omnino nunquam exstitisse videtur, nobis proponit, sed veterum poëtarum licentiam imitatus fabulas de diis traditas suo arbitrio commutat, in minutiis non semper sibi constat [75]), nova numina, quotquot ei in mentem venere fingere audet. Ex quibus imprimis multae illae 'simplices notiones' divina specie indutae commemorandae sunt, quas hodie graeco vocabulo *ὑποσιάσεις* nominamus. Tantus earum numerus in Aristophanis comoediis invenitur, ut quas ipse finxerit, quas jam antea alii poëtae, vix dici possit. Ut nonnulla tantum exempla afferam, commemorarim *Πόλεμον* (Ach, 977), *Διαλλαγήν* (Lys. 1114. Ach. 989), *Κοάλεμον*, Kuporis deum (equitt. 221), *Σκιτάλους*, *Φένακας*, *Βερεσχέθους*, *Μόθωνα* (equitt. 634), *Σπονδὰς* formosarum puellarum specie indutas [76]), *Ὀπώραν*, *Θεωρίαν* (pac. 520 sqq.), *Βασίλειαν* (av. sub fin.), *Τριφάλητα* etc.

Ut ad alteram quaestionem transeamus, cui quid Aristophanes nobili popularium melius informandorum studio profecerit cognoscendum est, jam ex mutabili infirmaque populi Atheniensis indole suspicari possumus, homines in theatro considentes libentissime poëtae jocis et facetiis aures praebuisse, nihilosecius autem iisdem, quibus antea moribus, in quotidiana vita esse usos. Quum enim iis fabulis, quae ad publica negotia vim aliquam exercere voluerunt, nunquam prosperos successus esse datas constet, cur in rebus sacris, in quibus maxime illud Horatianum: 'quot capitum vivunt, totidem studiorum milia' valet, poëtam civium animos flectere potuisse credamus? Si igitur per se non verisimile est, Athenienses ejusmodi admonitionibus multum motos esse, etiam duae aliae res eodem nos adducunt.

---

75) Ita in Amphiarai fr. 7 Iaso Amphiaraum comitatur, in Pluti vs. 701 autem Aesculapii filia nominatur.

76) equitt. 1389.

Primum poëtam quadraginta fere per annos constanter de iisdem rebus populares objurgantem videmus: si autem quid profecisset primis conatibus, non semper eodem revolvi eum oportuisset. Deinde saeculo interjecto Demosthenem quam maxime querentem audimus [77]) de illis mysteriis orphico-bacchicis omnes angulos perreptantibus, in quibus functum esse muneribus servilibus Aeschini acerrime dat crimini. Peregrinorum deorum cultus non solum abjectos non esse, sed etiam in dies invaluisse et ex Demosthenis querelis et ex Luciani deorum concilii capite IX (533), quem locum jam supra laudavi, intelligimus, ubi Momus de deorum coetu cum Jove collocutus his verbis utitur: *ἀλλ' ὁ Ἄττις γε, ὦ Ζεῦ, καὶ ὁ Κορύβας καὶ ὁ Σαβάζιος πόθεν ἡμῖν ἐπεισεκυκλήθησαν οὗτοι ἢ ὁ Μίθρης ἐκεῖνος ὁ Μῆδος ὁ τὸν κάνδον καὶ τὴν τιάραν, οὐδὲ ἑλληνίζων τῇ φωνῇ ὥστε οὐδ' ἢν προςπίῃ τις ξυνίησι;* Sed plura de hac re disserere paucitas nunciorum ab ipsis veteribus traditorum nos vetat: quare statim ad tertiam quaestionem, qua finem facere huic commentatiunculae mihi in animo est, accedamus.

Si excutere volumus, quomodo Aristophanes effugere potuerit *γραφὰς ἀσεβείας*, quibus omnes insectari, qui ullo modo patriis religionibus detrimenti aliquid inferre viderentur, Athenienses nimis propensi erant, ante omnia in illius *γραφῆς* naturam diligentius inquirendum est. Quae Pollux in Onomastico (VIII, 40 et 90) memoriae nostrae tradidit, ad formam in ejusmodi causis dicendis observatam spectant: qua autem conditione quibusque hominibus ipsum impietatis crimen impingi potuerit, nemo veterum scriptorum disertis verbis nobis dicit. Quae quum ita sint, ex singulis exemplis colligendum est, utrum noster in eorum numero habendus sit, qui impietatis arcessi potuerint necne.

---

77) pro corona §. 258—260.

Ex graecarum religionum natura quaque ratione sensibus subjecta apparet, eos ante omnes deorum dignitatem violare visos esse, qui ullam rem numini cuidam sacram laederent aut delerent. Ita Aelianus (Var. hist. V, 17) nobis narrat, Athenienses capitis supplicio affecisse omnes, qui in sacris nemoribus arbores succiderint[78]): Arbaci cuidam eodem auctore mors fuit obeunda, quod inconsulte passerem Aesculapio sacrum feriendo interfecerat. Leviori crimini dabatur illud *τίκτειν ἐν τοῖς ἱεροῖς*, quod Euripidem in scenam produxisse Aeschylus (ran. 1080) valde irascitur: ne tale flagitium committat, mulier, quae in Lys. vs. 742 partum simulat, has preces edit:

ὦ πότνι᾿ Εἰλείθυι᾿, ἐπίσχες τοῦ τόκου,
ἕως ἂν εἰς ὅσιον μόλω ᾿γὼ χωρίον.

Eodem loco ii habebantur, qui ebrii a comissationibus redeuntes deorum simulacra inquinabant: id quod saepius Aristophanes festive perstringit (cf. nub. 995. vesp. 389. ran. 366. *Γῆρας* fr. 3): hos enim impietatis accusari potuisse avium vs. 1054 ostendit, ubi episcopus Pisthetaero ejusmodi *γραφὴν* minatus dicit: *μέμνησ᾿ ὅτε τῆς στήλης κατετίλας ἑσπέρας;* etiam infamem Hermocopidarum causam huc esse referendam commemorare vix necesse est.

Aristophanem autem talia facinora nunquam commisisse ideoque hoc primo *γραφῆς ἀσεβείας* genere obligari non potuisse, per se intelligitur.

Causae, quibus homines eruditi impietatis crimine implicari poterant, subtilioris sunt naturae. Boettigero assentiendum est, si duas imprimis statuit, quae tale quid effecerint. Qui disputationibus cultum deorum

78) Simili argumento veteris fabulae, quae Anagyrum heroem atticum seni rustico, qui sacrum ejus lucum ceciderat, gravissimas poenas intulisse narrat, Aristophanis *Ἀνάγυρος* positus esse videtur.

popularium sustulerant vel Cereris mysteria profanaverant[79]), summo supplicio digni videbantur. Nostrum non est inquirere in Diagorae[80]), Protagorae, Anaxagorae, Socratis doctrinas et accuratius cognoscere, quatenus singuli publicis religionibus pugnantia dixerint; Protagorae[81]) exemplum demonstrat, eos qui dubitarent tantum de diis, plane eadem poena affectos esse, qua ii, qui deos esse simpliciter negarent[82]).

Utrumque autem ad Aristophanem referri non potuisse, spero fore ut ea quae de pio ejus animo dixi satis ostendant. Sed etiamsi nonnunquam in scena nimis frivola enunciata proferre visus sit, tamen persuasum nobis esse potest, veram ejus mentem ex colloquiis, quae eum in gymnasiis aliisque locis Atheniensium more privatim cum civibus saepius iniisse certo certius est, notiorem fuisse, quam quae in suspicionem vocari potuerit. Nisi ita fuisset, mente assequi non possum, cur Cleo, qui alias tanta peritia aperta adversariorum latera invenire potuit, Babyloniis comoedia irritatus Aristophanem *ξενίας* accusare maluerit, quam *ἀσεβείας*.

Qua igitur ex parte si nullum nostro imminebat periculum, etiam minus profanatorum mysteriorum crimen ei metuendum erat. Quamvis difficillimum sit excutere, quomodo mysteria in scena profanari potuerint, quum de propria ipsorum natura nihil fere sciamus, tamen sine ulla temeritate contendi potest, ea,

79) De eorum poena, qui *τὰ μυστήρια ἐξορχεῖσθαι* ausi erant, cf. imprimis Orelli ad Hor. Od. III, 2, 27.

80) cf. av. 1072. ran. 320.

81) Cic. de nat. D. I, 1, 2.

82) Ceterum non solum eos, qui deos non esse contenderent, sed etiam qui res novas in religionibus moliri auderent, impietatis arcessi potuisse, Aesopi fabula CXII (ex rec. Halmii) ostendit, quae *γυναῖκα μάγον ὡς καινοτομοῦσαν περὶ τὰ θεῖα* capitis damnatam esse narrat.

quae Aristophanes in comoediis de mysteriis dixerit, adeo in minutiis tantum extra arcana praecepta sitis versari, ut nullo modo eam ob causam impietatis crimen poëtae impingi potuerit. Quum illis temporibus omnes fere Athenienses sacris eleusiniis, de quibus solis hic agitur, initiari solerent, etiam Aristophanem in *μεμνημένων* numero fuisse, conjicere licet. Quo magis autem arcana doctrina imbutus erat, eo facilius omnia, quae sodalium animos offenderent, evitare potuit. Aeschylum nihil aliud quam arcanorum decretorum ignorantia *γραφῇ ἀσεβείας* implicuit: verisimile est, cum quoddam suae ipsius sapientiae praeceptum, quod fortuito jam antea in sacra arcana receptum erat, auditoribus proposuisse et ita in pervulgatorum mysteriorum suspicionem venisse: constat enim [83]), judices illo crimine statim cum absolvisse, quum se omnino initiatum non esse comprobaret [84]). Quo aegrius ferre nos oportet, Aristophanem nunquam aliquid in medium protulisse, quod caligini, quae hodie mysteriis offusa est, lucem porrigere possit, eo majore jure asseverare licet, etiam illius aetatis homines nihil in ejus comoediis invenisse, quod cum mysteriorum enunciatione conferrent. Si nonnunquam in porcos mysticos i. e. eos, qui in sacris celebrandis mactari solebant, jocosa dicta jactat [85]), si in Pluti vs. 842 festive traducit sacrum Atheniensium morem vestium, quibus induti initiati erant, usu conterendorum et deinde numini cuidam dedicandorum, si in Pacis vss. 418 sqq. irridet illam initiatorum opinionem, se mortuos meliore usuros esse fortuna, quam alios homines [86]), nihil dixit, nisi quod nemo profanus ignorabat: iis enim, quos ut initiarentur *μύσται* commovere volebant, ejusmodi promissa ut escam proposita esse non est cur dubitemus.

83) Clemens Alex. Strom. II, pag. 387: *Αἰσχύλος τὰ μυστήρια ἐπὶ σκηνῆς ἐξειπὼν ἐν ἀρείῳ πάγῳ κριθεὶς οὕτως ἀφείθη ἐπιδείξας μὴ μεμυημένον.* cf. Aristot. eth. III, 1: *οἷον λέγοντές φασιν ἐκπεσεῖν αὐτοὺς ἢ οὐκ εἰδέναι, ὅτι ἀπόῤῥητα ἦν, ὥσπερ Αἰσχύλος τὰ μυστικά.* Cui rei illa Aeschyli precatio (ran. 886 sq.):

Δήμητερ ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα,
εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων.

repugnare videtur: quare aut Aeschylum postea initiatum esse statuendum aut Aristophani poëticus error tribuendus est.

84) Aelianus (Var. Hist. V, 16) narrat, in Aeschylum propter tragoediam aliquam impietatis arcessitum populum iratum lapides conjicere voluisse eaque tantum re periculo ereptum esse poëtam, quod ejus frater Aminias brachium in pugna Salaminia mutilatum populo ostenderit. Errare mihi videntur, qui hanc rem ad eandem quam supra commemoravi causam referre volunt: illa justo judicio acta est: in hac autem ipse populus tumultuose jus petiisse videtur. Quamobrem Aeliani narratiunculam retulerim aut ad illud, quod Aeschylus primus Eumenidum crinibus angues insereret (teste Pausania I, 28, 6) aut ad eam fabulam, in qua Aegyptiorum theogoniam secutus Cererem

Ita igitur poëtam nostrum impietatis crimini nullum locum reliquisse videmus: jam autem ut undique rem amplectamur, paucis verbis exquirendum est, unde illa *γραφή*, si unquam ansam ei dedisset, maxime immineret.

Sine dubio respondendum est, adversarios in republica administranda [87]) et sacerdotes vel homines ab

Dianae matrem, Latonam autem ejus nutricem esse fingeret (Paus. VIII, 37, 3. cf. Herodot II, 156) aut denique id quod mihi verisimillimum videtur, ad aliud eventum, quod ejus vitae auctor inter exilii causas enumerat: Aeschylum tam frequentem Eumenidum chorum finxisse, ut infantes animas exspirarent, gravidaeque fetus abjicerent.

85) cf. Ach. 745. 764. Pac. 374. ran. 337.

86) Praeterea mysteriorum insontissimo modo mentio fit: vespp. 1363. nub. 143. ran. 155 sqq. 353 sqq. 886. Plut. 1013.

87) cf. Wachsmuth, hellenische Alterthumskunde I, pag. 597: 'Demagogen und Sykophanten gebrauchten das Religiöse in seiner Verbindung mit dem Politischen als Hefen, um die Menge in Gährung zu setzen. Die *γραφὴ ἀσεβείας* gab ihnen ein reiches Feld, ihre Rache zu üben.'

iis instigatos potissimum ejusmodi accusatione abuti potuisse, ut importunam auctoritatem infringerent. Sed vel ex utraque illa parte Aristophani nihil fere erat metuendum et propter publicam ejus conditionem et propter prudentem quandam in sacerdotibus tractandis clementiam. Quum nulli illarum societatum, quae ἑταιρίαι vocari solebant, se conjunxisset, quum nunquam totius factionis partes aut defenderet aut aggrederetur, sed singulos tantum nefarios quamvis potentissimos perstringeret, quum omnino semper revocanda prisca aurea aetate, cujus restituendae consilium vanum somnium esse plerique consebant, unicum quendam locum obtineret inter cives in varias partes distractos, omnibus factionibus adversatus unicuique factioni potior erat, quam aliarum sodales.

Quod autem ad sacerdotes attinet, perpauci sunt loci, in quibus eorum mentio fiat: vix dicere necesse est, in deorum gentilium verecundia etiam eorum sacerdotes concludi; quare Minervae et Apollinis ministri nunquam commemorantur: alii pro deorum, quibus operantur, dignitate acriter aut leniter perstringuntur. Quae de Bacchi sacerdote dicuntur [88]), neque in malam, neque in bonam partem verti possunt: idem judicium de illo loco (Plut. 1171—1196) ferendum est, ubi Διὸς σωτῆρος sacerdos sacrificiorum quaestu privatus ad Plutum deum nova dignitate auctum transfugit: nihil aliud huic joco inesse puto, quam lepidam Pluti honoris superlationem. Avaritiam hujus ordinis, qui illo tempore ut interdum etiam hodie quae diis oblata erant, sibi vindicare solebat, sine ullo periculo irridere potuit in Aesculapii sacerdote (Plut. 670 sqq.), qui nullius fere erat auctoritatis. Avium [89]) autem sacerdos, qui ne certum quidem dei nomen prae se ferens

88) Ach. 1087. equitt. 536. ran. 297.
89) av. 848—894.

parumper sacris operatus a Pisthetaero ex Nephelococcygia expellitur, hic nullius est momenti, quum nemo sacerdotum illam cavillationem ad se referre posset.

Ex quibus omnibus rebus apparet, Aristophanem, quoad de ullo homine tale quid praedicari potest, tutum fuisse a maligna impietatis accusatione: minime infitiari mihi in animo est, sine dubio eum nonnunquam nisi factiones, tamen singulos homines conviciis tanta ira accendisse, ut si potuissent, tali quoque crimine adversus eum abusi essent: at eo magis credendum est, in comoediis poëtam semper eo usum esse sermone, ut adversariis latus nudum non daret. Sed haec hactenus: si prior meae commentationis pars re vera comprobare potuerit, Aristophanem eo, quem supra significavi, modo deos in irridendo disjunxisse, alteri parti facilius fides habebitur.

Tamen, ut jam ab initio dixi, nequaquam me fugit, singulae hujus dissertationis partes reliquorum comicorum fragmentis collustrentur necesse esse: non dubito, quin tali collatione facta multa, quae hic Aristophane solo auctore in mediam protuli, corrigere, multa certe alia luce circumfundere cogar: sed quum quaestio, de qua agitur, semper delectatione quadam me allexerit, ubi potero, etiam alterum illud munus subire mihi proposui.